

corpus suum sepelire, sint duo templa ejusdem nominis v.g. S. Augustini, & testator simpliciter dicat, volo, ut corpus meum sepeliatur in templo S. Augustini, quodnam illorum intelligatur electum à testatore? Resp. illud, quod ex his erat magis vicinum, & quod magis frequentare solebat testator, id censetur in sepulturam elegisse. c. 2. X. d. sepult. in óto. Socin. in l. quæ conditio. §. fin. d. condit. & demonstr. Tiracquell. d. priv. vil. piæ causæ, p. xiv. 56. Salic. l. 1. C. d. SS. Eccles. Denique circa electionem sepulturæ & hæc venti- 19  
landa venit *Quæstio*: Si quis, cum velit eligere sepulturam, non potuit, sed electionem commisit alteri, & antequàm alter eligeret, mortuus est, an possit ille, cui facta est commissio, post mortem illius eligere? Ratio dubitandi est, quia ex quò ille non elegit, vivente eò, qui commisit, jam quæsivit jus Ecclesia parochialis, ac si absque electione sepulturæ ille decessisset. Sed contrarium verius est, 20  
talem scil. electionem fieri posse etiam post mortem committentis electionem: illa enim electio non fit, nisi in casu quò debet post mortem verificari: Ergò per mortem mandantis non expirat. arg. c. ult. §. fin. X. d. testam. in óto. Hancque sententiam tenent Gutierrez. d. juram. confirm. p. 2. c. 4. Cacer. d. l. n. 40. Potest autem sepulturæ electio probari quatuor testibus sin- 21  
gularibus. Gvid. Pap. dec. 544. Alvar. d. conjecturat. ment. test. lib. 3. c. 2. n. 16. add. Mascard. d. probat. Vol. 3. concl. 1297. Et licet 22  
semel fuerit facta, immutare tamen & revocare eandem quis non prohibetur. c. 1. d. sepult. in óto. Durant. d. art. test. tit. 9. caut. 6. Ultimæ autem electioni standum est. Cravett. conf. 110.

II. Acquiritur jus sepulcrorum **ÆDIFICATIONE**. 23  
Quemadmodum verò electio, ita ædificatio quoque sepulcrorum privati est arbitrii arg. §. 9. F. d. R. D. l. 6. §. 4. ff. eòd. l. 7. C. d. religios. l. 43. ff. d. R. V. ædificata autem privato hominum commercio eximuntur, & sic divini & quasi publici juris fiunt, etsi ab initio privati essent arbitrii, & directò ad privatum honorem exstructa. d. l. 43. §. 7. F. & l. 6. §. 2. ff. d. R. D. Veteres 24  
au-